

Desrousseaux, Louis-Auguste-Joseph
- candidat / Le Clerc,
Claude-Bartholomée-Jean - président.
- An, incoeptâ vulnerum coalitione
ceviviscant, & , absolutâ, perstent in
coadunatis labiis pristina mutuaque
liquorum commercia ?

1790.

Paris : Typis Quillau,
Saluberrimae Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°191

137
DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

Bibliothèque
Médicale
Paris

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis decimo - sexto
mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXXX.*

M^o. CLAUDIO-BARTHOLOMÆO-JOANNE LE-CIERC, Doctore Medico,
Præfide.

*An, incoeptâ vulnerum coalitione, reviviscant, &, absolutâ, persistant in coadunatis
labiis pristina mutuaque liquorum commercia ?*


I.

CUM inauditos Chirurgiæ aliquot ab hinc sæculis progressus intueor, eandem non sine molestiâ video ancipitem hæsitantemque de rebus cognitu facilioribus, momentosis tamen. In promptu origo mali. Omnes inexhausto ratiocinandi furore laborant : vix aliquos sincerum veri inveniendi movet desiderium. Hinc longa deliramentorum, errorum, argumentorumque probatione desitutorum series ubique obviatorum. Chirurghi ipsi, cætera illustres, suam artem melioribus auspiciis natam, evidentiaque face illustrari aptissimam, opinionum commentis (quæ dies ad unum deleat faxit Deus !) infestare non erubescunt ; phantasiæ arbitrio diruunt, ædificant, tanquam si philiatros systematicâ farragine studeant irretire ; incerta audacter affirmant, certiora nube opacâ circumvallant, doctrinæque aditus, nedum, ut sonat mixta præceptis importuna jactatio, minus salebrosos efficiant, lubricos è contrâ reddunt plenosque difficultatis. Etiam nunc, huic enim unico insitam exemplo, etiam nunc ambigitur utrûm sanati vulneris labia sint necne sanguini, lymphæ, aliisque liquoribus mutuò pervia. Talem nihilominus litem componere nequaquam arduum, sicut è binis proximè sequentibus paragraphis elucebit.

II.

CERTIOREM Chirurgiæ normam, tutissimumque adversus temeras asseritiones præsidium, experientiam confidenter adeamus, quæ sola positæ quæ-

A



tioni serenam lucem infundere sit habilis. Hujusmodi verò disquisitio, ni fallor, commodè sic instituetur. Aliqua nempè, corporis animati portio, quæ vasis sanguineis, lymphaticis, nerveis, multiplicique fibrarum genere constet, omni reliqui corporis communione ita fiat orba, ut ad eam nulla, nisi median-
tibus vulneris labiis, affluant alimenta. At prudenti simul industriâ prospiciendum ut nutritio, posito quod reipsâ perfici queat, perficiatur. His requisito modo peractis, utcunque ceciderit, tenebræ discutientur: vel enim portio sejuncta marcescet quasi fiderata, vel vitâ frui perget, proindèque conclusio suâ sponte, si prius contingat, negans, si posterius, affirmans orietur.

III.

ME AM mentem luculentius aperiet quorum in cuniculo sum nuper expertus simplex & fidelis enarratio. Pyramidalem trigonam, è cuniculi majori gluteo cuteque super impostâ resectam, partem scalpello sejunxi prorsus, basi tantummodò integrâ vicinæque continuâ remanente. Sanguinis effusione cohibitâ, idoneo saturæ, quam vocant siccant, fasciarumque unientium apparatu curavi citissimè hoc vulnus coalesceret, provisus in fundo subjectum hæreret, usque ad perfectam segmenti conglutinationem, filum tenue cerâ obductum & ad extrâ, ne loco moveretur, ope tenacis emplastri firmatum. Ubi solidâ vulnus inductum cicatrice, incisione transversâ pyramidis basim amputavi: indè liber supposito filo patuit exitus, argumento nullam vel minimam fibrillam solutionis immunem fuisse. Rursus hæcce nova sectio sanaretur operam diligentem admovi. E voto successit eventus: diebus enim paucis optimè convaluit cuniculus, nullam substantiæ jacturam passus, pristinæque segmenti, & incolumitati, & sensibilitati restitutus.

IV.

ATQUI œconomix animalis tantillùm gnaros minimè lateret id ita contingere non potuisse quin unâ plurima perpetrata fuerint phænomena, quin solitas deflexi nervei spiritus ad segmentum vias sibi referaverint, quin cæteri vasorum ordines congeneribus novo foedere fuerint uniti, quin denique vitæ universalis irrequietos influxus absque ullâ intermissione segmentum participaverit. Procul hinc igitur erronea Chirurgorum theoria, qui interfusâ substantiâ inorganicâ glutinosâ ferruminante locum obtinere contendunt vulnere coagmentationem, deletis quibuscunque sectorum vasorum orificiis & collapsis. Naturæ vires, vix ullis circumscriptas limitibus, æquius æstimare satagant: ejus arcanis quàm maximâ sagacitate investigandis, eisque in artis suæ emolumentum ægrorumque salutem quantum poterunt impendendis, toto ingenio incumbant. Partes vel omninò resectas in genuinum locum reponere non dubitent, tardèque admodum, si nullum mora ægris damnum inferat, de felici successu desperent. Curationes enim, quas

3

id genus binas absolvisse testatur peritissimus *Garenges*, quasque deridiculè commentitias orbis Chirurgicus judicavit, non ita meâ quidem sententiâ improbabiles. Esto partes porosiores & abundanti succo turgidæ penitusque divisæ, propter nimis celeriter imminutas vasorum diametros subitamque liquidorum avolationem, tali artificio nequeant adunari. Sed aliter sentiendum de partibus firmioribus, quales cartilagineæ ligamentosæve, nasus, aures, &c. Quotidiè rusticani pullorum gallinaceorum calcar demunt, quod in eorundem cristæ recens excisæ radices adhuc cruentas illicò inferunt firmantque donec apprimè solidetur, cornua prælonga crevisse caponibus aliquandò miraturi. Similiter, quanquàm sub plurimo respectu dispar vegetantium & animalium mechanismus, arborum plerarumque compactiori structurâ donatarum rami, dudum etiam avulsi, semet, aut emplastrari, aut inoculari, aut alio quocunque modo inferi patiuntur, sylvestresque truncos comâ fructibus exquisitis teracissimâ ditant; dùm laxiori textu præditæ plantæ sunt infitioni prorsus ineptæ, quippè quæ liquidis dissilabilioribus conflantur.

In experimento, cujus historiam mox summam exposui, ut ut mollis & spongiosa glutæorum fabrica, segmenti tamen vita nunquàm vigere definivit, quia duplici tentaminis periculo prospectum ne requisitæ ad optimam coalitionem deficerent conditiones. Nam initio per basim pyramidis affluebat iusta nutritii humoris quantitas, postea verò trans labia prius inflicti sanatique vulneris permeabat, segmentique, tùm gangrænam, tùm sphacelum præcavebat. Ergo madoris motusque vitalis in utroque casu satis aderat ut divisæ partes denuò ligari possent. Indè canalium inanitorum, retroactorum, constrictorum, impletio, elongatio, relaxatio. Indè sensim sine sensu arteriæ arteriis, venæ venis, nervi nervis, imò in vulnere primum, in summo deinceps, occurrebant, implicabantur, concredebant, perfectissimæque cicatricis, nullo ferè vestigio in posterum agnoscendæ, rudimenta parabantur.

V.

NEC operandi methodum diversam incassum adhibitam obijciant adversarii, siquidem liquet eos ideò naturam in exitus infauti crimen immeritò vocatos, methodique quam usurparunt perversitatem potiori jure esse arguendam. Et certè infinitus invaluit errorum numerus quos ab operandi, seu difficultate, seu modo minùs conveniente unicè oriundos opinio præconcepta stolidè amplexata est. Sic aliquorum animis pertinaciter hærebat nunquàm coadunari cæsas fibras musculares, quòd illas, post inflicta musculis abdominalibus vulnera, coalitionis expertes sæpenumerò viderant, perindè quasi musculosos labri leporini parietes centiès accuratissimè glutinatos observasse non contigisset. Ejusmodi arteriosarumque plagarum labia conjungi præpediunt obices præsertim à summâ mobilitate & intempestivo intestinorum aut sanguinis appulsu nati, her-

niasque, anevrysmata, & alias tristes sequelas arcessunt: quos ubi debito stabilique hiantium orarum contactu superaverimus, numeris omnibus absolutas cicatrices adipiscemur. Ossium fracturas jumentis superventas, olim pro immedicabilibus habitas, nunc, usu machinarum disrupta membra in idoneo situ retinentium, veterinarii facillimè curant. Plura insuper in medium juvaret proferre, ni jam longius à proposito & assequuto fine dimoverer. Itaque, persuasus quòd, quidquid oblectabitur, experientiæ vocem ratiocinantium clamores neutiquàm infirmabunt, hic ex abrupto concludam.

Ergo, inceptâ vulnerum coalitione, reviviscunt, &, absolutâ, perstant in coadunatis labiis pristina mutuaque liquorum commercia.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

- | | | |
|---|---|---|
| M. Jacobus-Franciscus DE VILLIERS. | M. Joannes-Franciscus-Jacobus ROUSSILLE DE CHAMSERU. | M. Ludovicus - Guillelmus LE MONNIER, rei herb. ann. 1745-46. Prof. |
| M. Eduardus Franciscus-Maria BOSQUILLON. Chir. lat. id. an. 1779 80, rei herb. an. 1781 82, iterumque Chir. lat. id. an. 1789-90, Prof. designatus. | M. Joannes - Jacobus PAULET, Phys. an. 1787-88, & Path. Prof. | M. Laurentius FERRET, Chir. gall. id. ann. 1744-45. Prof. |
| M. Ludovicus-Carolus-Henricus MACQUART. | M. Claudius-Antonius CAILLE. | M. Michael-Joseph. MATAULT. |

Proponebat Parisiis, LUDOVICUS-AUGUSTINUS-JOSEPHUS DESROUSSEAUX, Carolopolitanus, Rhemenfis, necnon saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theſeos auctor.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi. 1790.

